

ut horum memoriam facialis. » Quis autem ignorat scriptorum styllum precedente aetate aliquando immutari?

2° Grotii coniectura, ex qua concludit epistolam secundam Petri post Hierosolymae eversionem scriptam esse (forte a Simone vel Simeone illius urbis post Iacobum episcopo), haec, inquam, coniectura levissima est, et tanto viro indigna. At enim christianos non nisi post excidium Hierosolymitanum in eam persuasionem venisse de vicino mundi fine, ad quam allusio fit 2 Pet. III, 2-14. Sed unde hoc probat Grotius? nonne eadem persuasio etiam ante Hierosolymitanum excidium existere potuit? Immo eam vivente adhuc Christo Domino inter discipulos, atque adeo inter ipsos Apostolos obtinuisse non obscure colligitur ex c. XXIV Matthaei ubi illi Christum simul interrogant de duobus illis eventibus, ac si eodem fere tempore futuri essent. Cum enim Christus templi destructionem praedixisset (Matth. XXIV, 1, 2) hanc ei quaestionem sollicitè proponunt: « Dic nobis quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis saeculi? » ibid. v. 3. - Poterant ergo Iudaei illi ad fidem conversi, de quibus Petrus loquitur, in eadem esse persuasione, quam cum impletam non cernerent, (neque enim Iudaici status eversio, nisi diu post Christi mortem locum habuit) occasionem inde sumebant dubitandi de Christi promissionibus et christianae legis severitatem relaxandi: quibus occurrit Petrus, non quidem directe confirmans Hierosolymae et mundi excidium tempore coniuncta fore, sed indirecte ostendens adventum Domini diu non tardare, atque ideo omnes hortatur, ut vigilantes ac parati esse studeant: « Quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, et mille anni sicut unus dies » (III, 8). Simili oeconomia usus fuerat Christus in cit. cap. XXIV Matth. respondens quaestioni illi Apostolorum (ib. 4-34); in ea enim responsione duos illos eventus simul coniungit, atque inde occasionem sumit discipulos hortandi, ut ad Domini adventum paratos se praebeant.

#### THESIS V.

*Secunda et Tertia Epistola Iohannis genuinae sunt.*

Post primam Iohannis epistolam, de qua in prima Thesi loquuti sumus, duae aliae in graeco textu, et in Vulgatae editionibus sub Iohannis nomine leguntur: quarum prima inscribitur Electae Do-

minae et natis eius, alia vero Gaio cuidam auctoris amico et familiari. In prima ex citatis epistolis auctor Electam eiusque filios in fide et charitate confirmat, eosque paucis monet ut ab haereticorum seductione caveant, simul promittens plura de iis dicturum coram, et *os ad os* cum iis loquuturum: in altera vero Gaium laudat ob fidei sinceritatem et ob charitatem peregrinis praesertim exhibitam, de Diotrephes cuiusdam arrogantia et inhumanitate conqueritur, Demetrium autem publico testimonio probatum asserit, denique promittit se Gaium brevi invisurum et plura coram cum eo communicaturum. Utraque epistola brevissima est, prima enim tresdecim alia quatuordecim tantum versiculos continet.

Quaeritur utrum Iohannes Apostolus quemadmodum primae ita et duarum istarum epistolarum sit auctor.

#### §. I. Rationes dubitandi de genuinitate 2 et 3 Iohannis.

I. Rationes dubitandi *externae*. 1° De laudatis epistolis plures ex veteribus dubitasse testantur Origenes, Eusebius, Hieronymus. - Origenes quidem in sup. cit. loco (apud Eus. VI, 23) inquit: « neque enim has genuinas illius esse omnes consentiunt. » - Eusebius in saepius cit. loco III, 25 ubi inter dubias seu antilegomenas Scripturas eas recenset et dubia de harum auctore exponit his verbis: « Iohannis item secunda et tertia, sive illae ab ipso vera Evangelista, sive ab altero eiusdem nominis compositae sint. » - Hieronymus autem de vir. ill. in Iohanne: « Scripsit autem, inquit, Iohannes unam epistolam quae ab universis Ecclesiis et eruditissimis viris probatur; reliquae autem duae quarum principium: Senior etc. Iohannis presbyteri esse asseruntur, cuius et hodie alterum sepulcrum apud Ephesios ostenditur. » - 2° Dubia huiusmodi eo usque progressa sunt, ut in versione Syriaca illae epistolae omitterentur, itemque in nonnullis aliis antiquis Scripturarum canonibus, in canone vero Muratoriano duae tantum Iohannis epistolae recensentur his verbis: « *epistola sane Iude (Iudae) et superscriptio* (superscriptio) *Iohannis duas (duae) in catholica habentur.* »

II. Rationes dubitandi *internae*. 1° Praecipua coniectura ab antiquis adversariis itemque a recentioribus Grotio, Erasmo, Bretschneider aliisque contra nostras epistolas adducta ea est, quam a Hieronymo superius indicatam vidimus, scilicet quod harum episto-

larum auctor sese Apostolum nequaquam nominet, sed seniore  
 « Senior Electae Dominae et natis eius: Senior Gaio charissimo »  
 quae coniectura originem dedit illorum opinioni qui hasce epistolas  
 Iohanni presbytero, idest seniori, a Iohanne Apostolo distincto tribue-  
 bant. — 2° Nonnulli addebant argumentum ex illis verbis 3 Ioh. v. 9.  
 « Scripsissem forsitan Ecclesiae: sed is qui amat primatum gerere in  
 eis Diotrefes, non recipit nos. » Iamvero impossibile est, inquit,  
 Diotrefem istum in tantum audaciae ac potentiae venisse,  
 ut Iohanni Apostolo, qui totius Asiae fundaverat et regebat Eccle-  
 sias, obsistere vellet, aut posset, ita ut is a scribendo deterreretur.  
 Alius igitur Iohannes est harum epistolarum auctor.

Verum rationes istae facili negotio dissolventur, postquam gra-  
 vissima ac certissima pro harum epistolarum genuinitate argumenta  
 protulerimus. Sit igitur

S. II. Argumenta externa pro genuinitate 2 et 3 Iohannis  
 et contrariorum solutio.

Ecclesiae traditione accurate inspecta manifestum fit 1° episto-  
 las, de quibus loquimur, usque a prima aetate uti Iohannis Apo-  
 stoli scripta habitas fuisse, nec umquam unanimi Ecclesiarum consen-  
 su reiectas, aut alteri auctori adiudicatas; 2° privatos quosdam  
 auctores de earum authenticis dubitasse quidem sed causas eorum  
 dubitationis notas esse, eorumque sententiae numquam accessisse  
 Ecclesiam; quin immo post quartum saeculum sublata omni dubi-  
 tatione epistolas illas sub Iohannis Apostoli nomine ubique receptas  
 fuisse.

Quae omnia nunc breviter demonstranda sunt.

I. Testimonia veterum plurima et clarissima suppetunt. — *Ire-  
 naeus* in l. III c. XVI n. 5, 8 demonstrans ex Apostolorum scriptis  
 unum eundemque Christum verum Deum verumque hominem  
 confitendum appellat ad testimonia Iohannis Apostoli inquit:  
 « Quemadmodum Iohannes Domini discipulus confirmat dicens: haec  
 autem scripta sunt ut credatis quoniam Iesus est filius Dei etc.  
 (Io. XX, 31)... Propter quod et in epistola sua sic testificatus est  
 nobis: Filioli novissima hora est, et quemadmodum audistis quo-  
 niam Antichristus venit, nunc antichristi multi facti sunt... Quis  
 est mendax nisi qui negat quoniam Iesus est Christus? (1 Ioh. II,

18, 22); » et paucis interpositis in n. 8 de iisdem haereticis lo-  
 quens ait: « quos et Dominus nobis cavere praedixit, et discipulus  
 eius Iohannes in praedicta epistola fugere eos praecepit dicens:  
 multi seductores exierunt in hunc mundum, qui non continentur  
 Iesum Christum in carne venisse. Hic est seductor et Antichristus.  
 Videte eos ne perdatis quod operati estis » quae verba leguntur  
 in 2° Ioh. v. 7, 8. Tum vero addit: « Et rursus in epistola ait  
 multi pseudo-prophetae exierunt de saeculo. In hoc cognoscite  
 spiritum Dei. Omnis spiritus qui confitetur I. C. in carne venisse  
 ex Deo est etc. » quae sunt verba 1° Ioh. IV, 1, 3. Ubi notandum  
 est S. Irenaeum primam et secundam Iohannis epistolam promiscue  
 citare ac si una eademque esset. Videtur igitur in prima illa ae-  
 tate duas breviores Iohannis epistolas, vel saltem secundam veluti  
 prioris epistolae appendicem habitam fuisse. Idem Irenaeus in l. I  
 c. XVI n. 3 de vitandis haereticis loquens ait: « Iohannes enim  
 Domini discipulus superextendit damnationem in eos, neque ave  
 a nobis eis dici volens: qui enim, inquit, dicit eis ave communicat  
 operibus eorum nequissimis » (2° Ioh. v. 11). — *Canon Muratoria-  
 nus* circa eandem aetatem nobis favet cum duas Iohannis epistolas  
 inter Catholicas numerari affirmat; quo saltem unam ex epistolis,  
 de quibus loquimur, Iohanni adscribit; immo probabilius utramque,  
 si nempe dicamus, ut supra innuimus, secundam Iohannis primae  
 adiectam fuisse appendicis loco; quo fiebat ut omnes Iohannis epi-  
 stolae a nobis admissae, non tres, sed duae dici possent et sole-  
 rent. — Eadem est *Tertulliani* sententia qui nostras epistolas non  
 semel commemorat in suis operibus ex.gr. Lib. de pudic. c. 19 ubi  
 multa ex prima Iohannis afferens, eam epistolam *Iohannis primam*  
 appellat (V. Patrol. Lat. to. II col. 1020); quare alias supponit. —  
 In *Concilio Carthaginensi* saec. III celebrato sub S. Cypriano in  
 quaestione de Baptismo haereticorum inter episcoporum suffragia  
 (sent. 81) hoc testimonium legitur: « Iohannes Apostolus in epistola  
 sua posuit dicens: si quis ad vos venit, et hanc doctrinam non  
 affert, nolite recipere eum in domum.... (2 Ioh. v. 10). » — Ipse  
*Cyprianus* eam allegat in libris ad Quirinum (l. II c. 27; l. III  
 c. 78). — Qui canones librorum divinarum confecerunt apud Latinos  
 ut Philastrius (1), Rufinus, Augustinus, Concilia Africana, Romani

(1) Quoniam de Philastrii canone in haer. 88 saepe mentionem fecimus  
 opportunum existimamus ipsa eius verba recitare, quae peculiarem quam-

Pontifices Innocentius, Gelasius, alique tres Iohannis epistolas recensent. - Vetus Latina versio hisce omnibus antiquior tres Iohannis epistolas semper complexa est.

In Ecclesia Graeca et Orientali eadem testium series occurrit. - *Clemens Alex.* lib. II. Strom. c. 15 (Patr. Gr. to. VIII col. 1003) primam Iohannis epistolam citans, vocat eam *maiores epistolam*, quod supponit alias extare Iohannis epistolas minores ut revera sunt 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> (1). Et in fragmentis hypotyposeon, seu *adumbrationum* de 2 Iohannis ait: « *secunda Iohannis epistola*, quae ad Virgines scripta est, simplicissima est. » Imo in libris *ὑποτυπώσεων* Clementem omnes epistolas Catholicas compendiose enarrasse auctor est Eusebius I. VI c. 16. - Clementis vestigia premit *Origenes*, ut ex ipso loco ab adversariis obiecto (ap. Eus. VI, 23) et a nobis in superiore Thesi recitato luculenter apparet, si iuxta mentem et scopum auctoris intelligatur, ut ibidem monuimus; ait enim: « Scripsit enim (Iohannes Apostolus) epistolam admodum brevem. Sed concedamus si placet et secundam et tertiam ab illo scriptas esse (neque enim has genuinas illius esse omnes consentiunt); ambae tamen vix centum versus continent. » Praeterea in aliis locis Origenes ubi suam sententiam libere aperit tres Iohanni epistolas tribuit: ut in laudata hom. VII in Iosue. - In eadem sententia fuit *Dydimus Alexandrinus* Hieronymi et Rufini magister, qui commentarios in tres Iohannis epistolas caeterasque Catholicas conscripsit laudatos a Casiodoro in Instit. Divin. Liter. c. 8, quorum fragmenta adhuc supersunt (Fragmenta Comment. in 2 et 3 Iohannis V. in Patrol. Gr. to. XXXIX col. 1809-12). - *Dionysius Alex.* etiam 2 et 3 Iohannis commemorat ut ostendat morem Iohannis Apostoli fuisse proprium nomen scriptis suis non apponendi (apud Euseb. VII, 23).

dam vim habent ad traditionem Ecclesiae in re, de qua agimus, constituendam: « Statutum est, inquit, ab Apostolis eorumque successoribus nihil aliud legi debere in Ecclesia Catholica (ut scripturam canonicam) nisi Legem et Prophetas, et Evangelia, et Actus, Apostolorum et Pauli tredecim epistola (de epistola ad Heb. quid sentiat Philastrinus alio loco vidimus) et septem alias Petri, duas, *Iohannis tres*, Iudae unam, Iacobi unam, quae septem *Actibus Apostolorum coniunctae sunt.* »

(1) En Clementis verba ubi de peccatorum differentia loquitur: « Videtur autem Iohannes quoque in *maiore epistola*, in his peccatorum docere differentias: si quis viderit fratrem suum peccantem peccatum non ad mortem petet et dabit ei vitam... » (1, Io. V, 16 seq.).

Postquam enim observasset neque in Evangelio, neque in prima epistola Iohannem seipsum nominare addit: « Sed neque in secunda quae fertur Iohannis, neque in tertia, brevibus sane epistolis, Iohannis nomen prostat, verum absque nomine scribitur: *senior.* » - *Alexandrum Alex.* verba 2 Io. v. 10 contra Arium allegasse testatur Socrates Hist. Eccl. I, 16. - *S. Athanasius et auctor synopses, Concilium Laodicenum* can. 60, *Cyrillus Hierosol.* catech. IV, *Gregorius Nazianz.* in carm. de SS. Script., caeterique Graeci Doctores post saeculum IV utramque epistolam Iohanni Apostolo adscribunt.

In Ecclesia Syriaca S. Ephrem easdem ambas citat sub nomine Iohannis Apostoli. Ita ex. gr. in Sermone de amore paupert. « Non meus est, ait, hic sermo sed *Iohannis Theologi* (quo nomine solebant Orientales designare Iohannem Apostolum) sic dicentis: omnis qui recedit et non permanet in doctrina Dei, Deum non habet » (2 Io. 9); et in Sermone de timore Dei: « Ait Scriptura: maius gaudium non habeo quam ut audiam filios meos in veritate ambulare » (3 Ioh. 4). - Mirus ergo apparet Ecclesiarum consensus in recipiendis 2 et 3 Iohannis epistolis.

II. Oppositio illa quam citatae epistolae apud quosdam nactae sunt minime attendenda est; tum quia intra limites privatae illorum opinionis definita fuit, ac brevi dissipata est circa saeculum Ecclesiae V, tum quia eius rationes commode reddi possunt. Quod privata esset opinio eorum qui contradicebant laudatis epistolis ex eo patet quod praecipuae Ecclesiae in eis recipiendis semper consenserint, et in Catalogis librorum divinatorum plerumque appositae fuerint, ut ex dictis apparet: nec ullum afferri posset Ecclesiae decretum in quo eadem epistolae reiectae, aut in dubium revocate, aut Iohanni Apostolo abiudicatae fuerint. - Si versio Syriaca obiciatur respondemus (quod etiam alias observatum est) imprimis certum non esse eam originario omisisse 2 et 3 Iohannis: quod si id admittere cogere, possemus id commode repetere ex causis mox referendis. Caeterum Ecclesiam Syriacam mature admodum recepisse laudatas epistolas patet ex citatis Ephremi (Saec. IV) testimoniis. - De Origenis sententia superius diximus. - Ad Hieronymum et Eusebium quod attinet quamvis hi more suo referant a quibusdam dubitatum fuisse de 2 et 3 Iohannis, non tamen haec fuit eorum sententia, aut sententia Ecclesiae ea aetate

qua scribebant. Sane Eusebius in Praeparat. Evangel. I. III. c. 3 easdem epistolas allegat inter divinas Scripturas: et Hieronymus diserte eas tribuit Iohanni non solum in superius laudato testimonio ex epistola ad Paulinum ubi *septem* Catholicas epistolas Petri, Iohannis, Iacobi et Iudae recenset, sed etiam in epistola 85 quae est ad Evagrium ubi legitur: « Clangat tuba Evangelica filius tonitruī (1), quem Iesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluentia potavit: Presbyter Electae Dominae et filiis eius, quos ego diligo in veritate (2 Io. 1). Et in alia epistola: Presbyter Gaio charissimo, quem ego diligo in veritate (3 Ioh. 1). » - Sed iam aliquid dicendum est de causis quae dubias effecerunt apud quosdam laudatas Iohannis epistolas. - Causae fuerunt sequentes. 1° quod ambae illae epistolae privatis personis inscriptae ac prorsus familiares essent, ideoque potuerunt aliquamdiu latere, vel minus innotescere Ecclesiae: praesertim cum 2° brevissimae sint, et fere nihil novi contineant ad dogma, vel disciplinam pertinens; ideoque nulla erat necessitas eas statim exscribendi et exemplaria Ecclesiis communicandi. 3° Multis etiam aevo Apostolico aut proxime sequenti innotescere potuerunt, quin tamen occasio illis se offerret eas citandi ob praedictam rationem atque indolem earumdem epistolarum. Hinc igitur 4° factum est ut Saec. III et IV nonnulli rem critice expendentes, cum ex una parte nomen Iohannis deesset, et ex altera parum antiquitati notae ipsae epistolae viderentur, coeperint eas ut dubias habere vel alteri Iohanni tribuere. Verum paulo post, re maturius perpensa, et Ecclesiarum traditione consultata, communi suffragio receptae sunt; sane in omnibus librorum sacrorum catalogis inde a saeculo IV confectis tres Iohannis epistolae apparent.

(1) Iohannes et Iacobus fratres a Christo domino vocati sunt *bonnarges* seu *filiis tonitruī* (Mr. III, 17) ad designandam eorum in praedicando vehementiam, et in Ecclesia fundanda ac propaganda efficaciam ac constantiam. De nominis illius etymologia variae sunt eruditorum opiniones: prima nominis pars certe est vox *בני* *filiis* leviter immutata pronuntiatione; altera pars probabilis est vox *עץ* quae proprie *commotionem magnam* aut *convulsionem* significat (V. Zach. XIV, 5; Ezech. III, 5 al.). Litteram *ו* a Graecis in *γ* et litteram *ש* in *σ* permutari notissimum est.

§. III. Argumenta interna et difficultatum internarum solutio.

Ob epistolarum, de quibus agimus, breviter interna indicia copiosa ac varia expectanda non sunt. Non desunt tamen quaedam rationes internae, quae genuinitatem earumdem epistolarum iam ex traditione demonstratam confirmant.

I° Conceptus, stylus ac phraseologia Iohanni Apostolo apprime conveniunt. Sane utraque epistola teneram charitatem spirat, et nihil magis quam mutuum dilectionem inculcat (2 Ioh. 1, 3, 6. - 3 Ioh. 1, 4, 5, 6), qui est proprius character Evangelii, et epistolae primae Iohannis. - De veritate sui testimonii loquitur 3 Io. 12: « *et nos testimonium perhibemus, et nosti quoniam testimonium nostrum verum est* » prorsus ut Iohannes facit in Evangelio (XIX, 35); - haereticos vocat antichristos 2 Io. 7, quemadmodum Iohannes facit 4 Io. II, 18 seq. 22: - item phrases nonnullae Iohanni familiares hic occurrunt uti ex. gr. *cognoscere veritatem, manere in veritate, ambulare in veritate, in mandato, in doctrina, ex Deo esse, videre Deum*, etc. - Haec styli similitudo tam evidens est, ut etiam difficiliore critici Protestantes, et Rationalistae ut Michaelis, Eichhorn, De Wette, Ewald aliique recentissimi eam admittere coacti sint, ac eo nomine defendant harum epistolarum genuinitatem.

II° Inscriptio epistolarum *Senior Electae, Senior Gaio*, aliud indicium suppeditat pro Iohanne auctore. Quis enim alius praeter Iohannem sperasset se ex generico illo *Senioris*, seu presbyteri titulo statim agnatum iri? - Unicum ergo effugium restat adversariis, ut nempe supponant impostorem aliquem, data opera, et stylum et titulum Iohannis Apostoli usurpasse ut ita epistolas suas illi supponeret. Verum

III° Haec postrema hypothesis ita inverosimilis est ut a nemine admitti possit, nec admissa umquam fuerit. - Sane quidnam impostorem illum inducere potuisset, ut epistolas tam breves, nihil novi continentes, ad privatas personas directas confingeret? Nullum sane prorsus motivum huiusmodi suppositioni faciendae excogitari potest.

Et haec de internis argumentis.

Obiectiones internae superius adductae nullo negotio dissolvuntur.

1<sup>o</sup> Obiiciebant inscriptionem epistolarum ubi nec nomen Iohannis nec Apostoli titulus apparet.

Respondemus 1<sup>o</sup> neque in prima epistola Iohannis nomen, aut Apostoli titulum legi, et tamen hanc epistolam nunquam Iohanni abiudicatam fuisse. 2<sup>o</sup> Titulus *presbyteri* Iohanni Apostolo veluti proprium evaserat tum quia caeteris Apostolis superstes ad extremam senectutem pervenerat; tum quia maximam et supremam in omnes Asiae Ecclesias habebat auctoritatem. Notum est enim vocem *Presbyter* (πρεσβύτερος) in N. T. non tam aetatis nomen esse quam dignitatis et auctoritatis Ecclesiasticae (Act. XX, 14, Iac. V. 14 etc.). Quare Iohannes recte dici potuit veluti antonomastice *senior*, Presbyter (graece cum articulo ὁ Πρεσβύτερος), quemadmodum et Petrus in prima sua epistola eodem titulo seipsum designavit aiens: « Seniores ergo (idest sacerdotes et episcopos) qui in vobis sunt obsecro *consenior* (συμπρεσβύτερος) et testis Christi passionum... Pascite qui in vobis est gregem Dei etc. » (1 Pet. V, 1). Quod autem nonnulli seniore Iohannem illum epistolarum auctorem existimaverint alium esse Iohannem Papiæ magistrum, cuius sepulcrum Ephesi ostendebatur, hoc, inquam, sine ullo fundamento coniciebant, idque nonnisi ex male intellectis Papiæ verbis ortum habuisse videtur. Papias enim apud Eusebium l. III c. 39 distinxit utique duos Iohannes alterum apostolum, alterum *seniorem*, quo magistro se usum fuisse narrat, sed hic vocem seniore ad aetatem tantum designandam adhibuit; volebat enim ostendere se ab iis didicisse, qui cum apostolis vixerant et conversati fuerant, ut ex integri loci lectione evidenter apparet: hoc autem non excludit etiam Iohannem Apostolum, dum viveret, presbyterum appellatum fuisse, et quidem absolute et antonomastice respectu habito in primis ad supremam eius in Asiae Ecclesias iurisdictionem. - Nec Papias affirmat hunc alterum Iohannem esse epistolarum auctorem, sed tantum ex coniectura insinuat Eusebius post recitatum Papiæ testimonium huic Iohanni Apocalypsim tribui posse si Iohannis Apostoli non sit, quam coniecturam alii postea ad 2 et 3 epistolam extendere consueverunt, ut Hieronymus in loco ab adversariis citato refert. - Quod etiam de duobus sepulcris Ephesi extantibus ex Eusebio l. c. et Hieronymo affertur, nullius momenti est; praesertim quia, ut idem Hieronymus observat, alii existimabant duas illas fuisse memorias

unius eiusdemque Iohannis Apostoli (1), ac si probaretur alterum sepulcrum alterius Iohannis presbyteri fuisse non sequeretur eum esse epistolarum auctorem.

II<sup>o</sup> Obiiciebant ea quae 3 Io. 9, 10 leguntur de Diotrefhe, qui ut auctoris epistolae adversarius sistingit, et a quo auctor deterritum se dicit ne Ecclesiae scriberet.

Verum id non probat auctorem Iohannem Apostolum non esse. Quo enim progredi non potest quorundam superbiorum audacia, ac arrogantia? Nonne pseudo-prophetae et haeretici despiciebant Paulum, Iacobum et ipsum Petrum Apostolorum principem? Falsum est tamen Iohannem a Diotrefhe *deterritum* fuisse: quod enim eius causa Ecclesiae non scripserit, id non timori sed prudentiae et charitati sanctissimi Apostoli tribuendum est, ne scilicet scandalis et turbis occasionem daret. Minime autem se timuisse Diotrefhem satis ostendit Iohannes sequentibus verbis v. 10: « Propter hoc, si venero, commonebo eius opera quae facit » quo ostendit se et posse, et velle in hunc ipsum Diotrefhem, qui in illa Ecclesia *primatum gerere* amabat, severe animadvertere.

Concludamus igitur 2<sup>am</sup> et 3<sup>am</sup> Iohannis unum eundemque cum prima epistola auctorem habere *Iohannem Apostolum*.

Quaeri solet quinam fuerint *Electa* illa, et ille *Gaius*, quibus praefatae epistolae inscribuntur.

Ad primam quaestionem quod attinet, nonnulli affirmarunt *Electam Dominam* non esse foeminam aliquam illustrem Iohanni familiarem, sed figurate designare *Ecclesiam* aliquam. Quod quidem licet absurdum non sit minus tamen probabile videtur, quia in tota epistola videtur auctor loqui de particulari persona, cuius etiam *filios* (v. 1), et *sororem*, ac *sororis filios* (v. 13) commemorat. Quare communiter creditur eam esse matronam aliquam in aliqua Asiae Ecclesia commorantem. Quodnam autem fuerit eius nomen etiam disputatur: cum enim Graecus textus habeat ἐκλεκτῆς κόρης, vulg. *Electae Dominae*; alii dicunt *Electam* esse nomen foeminae illius, *Dominam* autem esse honoris titulum: alii e contra Κόρινθον esse nomen, *electam* autem seu *distinctam*, *illustrem* honoris causa appositum esse; alii denique opinantur utrumque esse titulum, nomen autem proprium foeminae expressum non esse: quod aliquo

(1) Addit enim post citata verba ex Catalogo c. 9: Nonnulli putant duas memorias eiusdem Evangelistae esse ».

modo confirmari videtur ex eo quod soror eius etiam *Electa* vocetur v. 13: non videtur enim probabile duarum sororum idem fuisse nomen: *Κερα* autem, seu *Domina*, per se titulus est, non nomen. — Quod autem pertinet ad *Gaium* nihil de eo certe affirmare possumus: nisi forte sit unus ex iis qui Paulo Apostolo familiares fuisse dicuntur (Act. XIX, 29, XX, 4; Rom. XVI, 23; I Cor. I, 14).

#### THESIS VI.

##### *Epistola Iudae genuina est.*

*Praenotanda.* — Auctor postremae epistolae Catholicae sese vocat *Iudam Iesu Christi servum, fratrem autem Iacobi*: epistolam autem ad omnes universim fideles dirigit praesertim eos qui ex Iudaismo crediderant, eosque monet ut in semel accepta evangelica fide firmi maneant adversus impios atque impudicos homines qui eos pervertere conabantur « Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, et solum Dominatorem et Dominum nostrum Iesum Christum negantes » (v. 4). Horum autem pravitatem vehementiori stylo describit eos appellans *nubes sine aqua, arbores autumnales, infructuosas, bis mortuas, eradicatas, fluctus feri maris despuantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum* (v. 12, 13), *animales spiritum non habentes* (v. 19), *illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus* (v. 18), eorumque supplicium praedicit, atque de iis vaticinia Henoch et Apostolorum in mentem revocat (v. 14, 15, 17, 18): denique solemniter doxologia epistolam concludit: « Et autem qui potens est vos conservare sine peccato..... soli Deo Salvatori nostro per Iesum Christum Dominum nostrum gloria et magnificentia, imperium et potestas ante omne saeculum, et nunc et in omnia saecula saeculorum. Amen. »

Brevissima est huiusmodi epistola viginti quinque versiculis in nostris editionibus constans; similitudinem autem maximam gerit cum 2 Petri, ad eundem scopum tendit, contra eosdem haereticos et seductores dirigitur (Simonianos nempe et Nicolaitas) iisdemque saepe exemplis, imaginibus ac phrasibus contexta est (Vide Iud. 6 coll. 2 Pet. II, 4; Iud. 11 coll. 2 Pet. II, 15; Iud. 12 coll. 2 Pet. II, 17; Iud. 18 coll. 2 Pet. III, 3).

Quaeritur itaque, an haec epistola genuina sit, et quisnam ille sit Iudas, qui se eius auctorem dicit. Nos certum omnino esse contendimus iuxta constantem Ecclesiae traditionem, eam genuinam esse, eiusque auctorem esse Iudam Apostolum, qui Thaddaeus dicitur, quemque Iacobi minoris fratrem fuisse alias obiter innuimus: erat enim unus ex fratribus Domini una cum Iacobo et Simone, de quibus in locis aliis citatis Mat. XIII, 55; Mr. VI, 3 fit mentio, qui proinde a Luca cap. VI, 16 in serie Apostolorum *Iudas Iacobi* (idest *Iacobi frater* ut ipse in titulo epistolae se vocat) appellatur, et ita a Iuda proditore distinguitur. Iudas hic Marc. III, 18 *Thaddaeus* vocatur, apud Matth. vero Thaddaeus simul et Lebbaeus (in textu Graeco) dicitur. Ex testimonio Paulini in carmine 27 scimus Iudam Thaddaeum in Lybia evangelium praedicasse: in latinis autem martyrologiis ex testimonio Fortunati asseritur eum in Perside sepultum fuisse.— Confundi autem non debet hic Thaddaeus Apostolus cum alio eiusdem nominis Apostolico viro, et uno ex 70 Christi discipulis, quem Eusebius L. I, c. 43 ad Abgarum Syriae regem missum narrat, et a quo plures opinantur Syriacam Sacrorum Librorum versionem confectam esse. Ut autem ad epistolam revertamur, tertio et quarto Ecclesiae saeculo de ea dubitatum fuisse scimus; quare hic primum dubitandi rationes afferemus, quibus post demonstratam epistolae authenticam respondebimus.

#### §. I. Rationes dubitandi de autenticam epistolae Iudae.

I. Rationes dubitandi *externae*. — 1° *Ex silentio veterum scriptorum.* — Eusebius l. II c. 23 affirmat hanc epistolam raro ab antiquis allegatam fuisse: loquens enim de epistola Iacobi ait: « Sane pauci admodum ex veterioribus tum huius epistolae, tum illius Iudae, quae et ipsa in septem canonicarum numero recensetur, mentionem fecere. » Sane naque apud Patres Apostolicos, neque apud sanctos Iustinum et Irenaeum huius epistolae mentio occurrit. — 2° *Ex dubiis antiquorum.* — Saeculo IV plures de hac epistola adhuc dubitasse referunt Eusebius l. III. c. 25, et Hieronymus in Cat. c. IV nec non Amphilochius in carmine ad Selencum. — 3° In versione Syriaca simplici haec epistola omissa fuit. — Difficultatem augent

II. Rationes dubitandi *intrinsecae*. — 1° Auctor Apostolum sese

non vocat, et insuper se fratrem Iacobi appellat, quasi ad auctoritatem sibi conciliandam. - Immo 2<sup>o</sup> vers. 17 ait: « Vos autem charissimi memores estote verborum quae praedicta sunt ab Apostolis Domini Nostri I. C. etc. » quibus verbis videtur se distinguere ab iisdem Apostolis, ac proinde non esse Apostolus. - 3<sup>o</sup> In vers. 14, 15 Auctor verba Henoch citat ut prophetica: « Prophetavit autem et de his septimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis, facere iudicium contra omnes et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, et de omnibus daris quae locuti sunt contra Deum peccatores impii. » - Notum est autem librum Henoch unde ea verba allegantur, apocryphum esse; porro indignum Apostolo videtur apocrypha citare. - Item 4<sup>o</sup> vers. 9 narrat pugnam inter diabolum et Michaellem Archangelum de corpore Moysi, quae quidem a nullo Agiographo narratur, sed ex apocrypho libro deprompta est cui titulus « *Assumptio Moysi* ».

Ex his igitur merito concludit Grotius (Adnot. in ep. Iudae) non Iudam Apostolum, sed alium eiusdem nominis Episcopum Hierosolymitanum, qui Hadriani temporibus floruit, eam epistolam scripsisse: verba autem illa *frater autem Iacobi* aliena manu adiecta fuisse ad auctoritatem epistolae conciliandam, cum auctor duntaxat *Iudam Iesu Christi servum* sese appellasset.

§. II. Argumenta pro authentia epistolae Iudae, et contrariorum solutio.

Quaestio de authentia epistolae Iudae fere confunditur cum quaestione de eius canonica auctoritate, quemadmodum ex dictis apparet. Siquidem ea epistola ante Grotium numquam uti spuria habita est, aut post aevam Apostolicam conscripta, sed tantum an divina esset a nonnullis subdubitatum fuit, forte quia putabant Iudam fratrem Iacobi alium esse a Iuda Apostolo, eo quod et Iacobum illum a Iacobo Alphaei distinguerent, ut in Thesi III vidimus. Hoc tamen genuinitati epistolae non officeret, ut ex aliis Actis apparet. Hic igitur afferemus testimonium traditionis quo appareat generatim epistolam Iudae in antiqua Ecclesia pro authentica habitam fuisse, et *Iudae* seu *Iudae Apostolo* adscriptam.

Ex Apostolica aetate luculentum exhibet testimonium vetus *la-*

*tina versio* in qua semper *epistola catholica B. Iudae Apostoli* lecta est. Item in *Pastore Hermiae* non pauca leguntur quae ex eadem epistola deprompta videntur. (V. Patrol. Gr. to. II, col. 894 seqq.).

*Canon Muratorianus* saec. II epistolam Iudae inter *Catholicas* haberi testatur, ut superius vidimus. - *Clemens Alex.* eandem epistolam memorat *Paedagog.* l. III c. 8 ubi scribit: « Scire enim vos volo, inquit Iudas, quod Deus qui semel servavit populum ex Aegypto secundo perdidit eos qui non crediderunt; et angelos qui non custodierunt etc. » (Iud. 5, 6); deinde prosequitur recitare verba v. 11. - Item *Strom.* l. III c. 2: « De his, ait, et similibus haereticis existimo Iudam propheticè dixisse in epistola. » - *Tertullianus* De hab. foemin. l. I c. 3: « Henoch, ait, apud *Iudam Apostolum* testimonium possidet » nempe Iud. 14, 15. - *Origenes* comment. in *Math.* XIII, 55: « *Iudas epistolam scripsit paucorum quidem versuum sed plenam efficacibus verbis gratiae coelestis.* » Et rursus in comment. in *Rom.* V. « Quomodo etiam quod *Iudas Apostolus* in *epistola catholica* dicit, poterit explicari? Ait enim ita Angelos quoque qui non servaverunt suum principatum sed dereliquerunt etc. (Iud. v. 6). » Cfr. etiam hom. XIII in *Genes.* et hom. VII in *Iosue.* - Ubi notandum est usque a saeculo II Iudae epistolam inter septem *Catholicas* computatam fuisse; quod etiam *Eusebius*, et alii testantur quamvis nonnullorum dubitationes referant. - *Pamphilus* *Eusebii* magister nostram epistolam ut canonicam *Scripturam* habuit, ut apparet ex eius *Apologia pro Origene*, et ex comment. in *Math.* - *Didymus Alex.* epistolam Iudae cum caeteris  *catholicis* exposuit (V. Pat. Gr. to. 39. col. 1811-18). - *Concilium Laodicenum* can. 60 eam sacris libris adnumerat. - *S. Ephrem Syrus* *Serm.* adv. impud.: « Arguit autem eos, ait, et alius discipulus dicens: Iudas Iesu Christi servus, frater autem Iacobi etc. (hic integram epistolam recitat). » - *Concilia Africana Hipponense et Carthaginiense III.* - *S. Augustinus* - *Rufinus* - *Philastrius* - *Innocentius I.* - *Celasius* - aliique in saepius laudatis librorum divinatorum canonibus epistolam Iudae inter *Catholicas* recensent. Post saeculum autem quartum unanimi consensu ab omnibus inter *sacras Scripturas* computatur, et Iudae Apostolo tributur, quam *Ecclesiae* persuasionem *Concilium Tridentinum* in Decreto de *Canoniciis Scripturis* comprobavit; *catholicis* epistolis adnumerans *Iudae Apostoli unam* (sess. IV).

Constat itaque de testimonio Ecclesiae in favorem epistolae Iudae.

Nunc pauca de objectionibus *externis*.

1° *Ad silentium antiquorum* respondemus quod saepe alias animadvertimus, breviores quasdam epistolas non necessario debuisse a primis Ecclesiae Doctoribus allegari, ac de Iudae epistola tanto minor erat necessitas quod in ea nihil novi contineatur, quod in aliis apostolicis scriptis uberius non occurrat. - Quamquam verum non est omnes Patres primis duobus saeculis hanc epistolam praeteriisse, ut ex dictis apparet (1); neque Eusebius dicit a *nemine* fuisse allegatam sed a *paucis*; quod ultro concedimus. - 2° Fate-mur etiam saeculo III et IV nonnullos extitisse, qui de hac epistola *dubitarent*. Verum imprimis eorum dubia divinam epistolae aucto-ritatem respiciant, potius quam eius authenticam: deinde ea dubia Ecclesiam non moverunt, ut epistolam unquam abiceret; nam ear-dem publice legi consuevit in Ecclesiis, ut Eusebius in ipso loco ab adversariis obiecto testatur (II, 23), et in canones librorum sa-crorum relata est, ac demum post IV saeculum a nemine amplius est in dubium revocata. - Hieronymus aliorum dubia commemorat, ipse tamen epistolam ut genuinam et canonicam recipit, atque uti talem iam sua aetate ubique receptam esse testatur: « *Iudas, inquit, frater Iacobi parvam quidem, quae de septem Catholicis est episto-lam reliquit*. Et quia de libro Henoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur (2): tamen auctoritatem

(1) Sane testimonia a nobis adducta (quibus addere possemus Irenaeum, qui non semel ad verba Iudae provocat, quamvis non expresso eius nomine) satis ostendunt prima illa aetate epistolam hanc Ecclesiae notam fuisse: quod quidem ex eo praecipue ostenditur, quod saeculi II scriptores, ut auctor Canonis Muratoriani, Clemens Alex., Tertullianus etc. eam ut notam sup-ponent tamquam unam ex septem Catholicis.

(2) Inutile non erit hic animadvertere vocem *plerique* apud Latinos scriptores sequioris aetatis praesertim Ecclesiasticos non semper significare *maio-rem partem*, sed passim usurpari pro voce *aliqui, plures*. Notus est locus Gregorii M. in hom. 12 in Evangel. « *Sunt namque plerique conti-nentes, qui... pro laboribus suis recipere laudes humanas nolunt... Et sunt plerique, qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia favores humanos expetunt* » ubi cum invicem opponantur *plerique et plerique*, evidens est non *maio-rem partem* sed tantum *aliquot, vel nonnullos* ea voce significari; similia exempla passim occurrunt in scriptis eiusdem Gregorii M, Augustini, ac Hieronymi.

a vetustate iam et usu meruit, et inter Sacras Scripturas compu-tatur. » Praeterea in epistola ad Paulinum absque ulla haesitatione Iudam inter auctores epistolarum Catholicarum collocat. - Ad *Eusebium* quod attinet, ipse non negat epistolae Iudae authenticam, sed tantum monet eam apud quasdam dubiam fuisse, atque ideo inter antilegomenas scripturas eam collocat (III, 25). - *Amphilochius* autem quamvis eadem nonnullorum dubia innuat, epistolam tamen Iudae inter libros canonicos N. T. recenset, idemque facit Grego-rius Nazianzenus in carmine de veris ac germanis S: Scripturae libris, nulla facta mentione de controversia circa eandem episto-lam (1). - 3° Quod pertinet ad *versionem Syriacam* idem repeten-dum est, quod de tribus aliis epistolis diximus.

Dicendum modo aliquid de objectionibus *intrinsecis*.

1° Omissionem tituli *Apostoli* nihil probare contra Apostolicam alicuius libri originem saepe alias ostendimus. - 2° Verba v. 17 ubi vaticinium Apostolorum in mentem lectorum revocatur, non de-monstrant auctorem extra Apostolorum numerum fuisse. Non enim iis verbis se distinguit ab omnibus universim Apostolis, sed ab iis tantum quorum verba repetit, qui videntur esse Petrus, et Paulus, in quorum epistolis revera occurrit praedictio illa de venturis illu-soribus *secundum desideria sua ambulantibus in impietatibus*, ad quam hic Iudas appellat (2 Pet. III, 3, 1 Tim. IV, 1 seq., 2 Tim. III, 1, 7). Quare ex his tantum sequeretur Iudam post Pe-trum et Paulum scripsisse, aut etiam post eorum mortem, nam de iis loqui videtur ut iam defunctis, et a consortio fidelium sublati. Quod si citata verba ad alios etiam Apostolos extendere quis vel-let, nihil prohiberet dicere Iudae epistolam post Hierosolymae ex-cidium et ceterorum Apostolorum mortem (excepto Iohanne) con-scriptam fuisse, ut plures critici cum Millio opinantur. 3° et 4° At enim auctor citat apocryphos libros, inquit adversarii. Ergo Apo-stolus esse nequit. - Respondemus, immerito hoc ab adversariis inferri. Et imprimis quod pertinet ad vaticinium Henoch nondum probatum est verba illa v. 15 ex apocrypho libro Henoch derivata esse; in huius enim libri fragmentis, quae supersunt, eadem non leguntur, neque Iudas dicit se citare librum, sed tantum dicta

(1) Notandum est carmen ad Seleucum, quod Amphilochio tribui solet, a multis criticis eidem Gregorio Nazianzeno adscribi.



sancti illius Patriarchae, quae quidem poterant aliunde cognosci per traditionem. Quod si verba illa omnino ex apocrypho Henoch depromi debuissent, non tamen id officeret Apostolicae origini epistolae Iudae. Non enim omnia, quae in libris apocryphis continentur, apocrypha sunt et conficta, sed multa etiam vera et utilia occurrunt; quibus uti potuit Iudas Apostolus, eodem iure quo Paulus Apostolus Act. XVII et Tit. I paganorum poetarum verba allegavit: atque eo vel magis id praestare potuit Iudas, quod haeretici et osores fidei, contra quos agit, libros apocryphos in magno pretio haberent; quare eorum testimonium potuit  $\alpha\alpha\tau\ \alpha\upsilon\theta\rho\omega\pi\epsilon\upsilon\upsilon$  adversus eos urgere.

Quod autem pertinet ad alterationem Michaelis Archangeli cum diabolo de corpore Moysi v. 9 animadvertimus pariter Iudam ibi nullum librum citare, sed factum illud tamquam lectoribus notum simpliciter commemorare, ut morale exinde documentum inferat; potuit ergo ex traditione illud accipere. Quod si ex apocrypha *Assumptione Moysi* ea derivasset, non tamen id auctorem ex Apostolorum numero excluderet, ut ex sup. dictis apparet. — Historia vero illa v. 9. nihil fabulosi aut absurdi continet. Ut enim sancti et docti viri observarunt, conatus est diabolus efficere ut corpus Moysi in loco publico et Iudaeis noto sepeliretur, ut ita occasionem arriperet eosdem pertrahendi in idololatriam eius corporis cultum; quod ut impediret Michael Arch. diabolo restitit, et in occulto loco Moysi corpus sepeliit. (V. Deuter. XXXIV, 6).

#### THESIS VII.

*Auctor Apocalypsis est Iohannes Apostolus.*

*Praenotanda.* — Postremus inter deuterocanonicos atque adeo inter omnes libros sacros N. T. est Apocalypsis; liber mysteriis et vaticiniis plenus, quae Ecclesiae Christi pugnas, triumphos, ac gloriosum exitum symbolice adumbrant, de quo merito scribebat Hieronymus ad Paulinum: « Apocalypsis Iohannis tot habet sacramenta quot verba: parum dixi et pro merito voluminis laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiae. »

Tria priora capita Apocalypsis totius libri prooemium exhibent, in quo auctor Christi Domini iussu ad septem Asiae minoris Epi-

sco et Ecclesias totidem veluti epistolas dirigit, isdemque integrum volumen proxime dedicat. — Post prooemium sequitur ipsa Apocalypsis, idest *revelatio*, quam in insula Patmos Iohannes se vidisse narrat (I, 9, 10). Itaque in capp. IV et V Iohannes in coelum raptus gloriosum Dei thronum conspicit, simulque librum videt septem sigillis munitum, quae nemo praeter Agnum aperire potuit. In capp. VI et sequentibus ab eodem Agno singula sigilla removentur inter laudes et cantica coelitum. Remoto primo sigillo (cap. VI) equus albus apparet cui heros insidet victoriae ac triumphis signis ornatus, deinde sublati secundo, tertio et quarto sigillo tres alii equi, nempe alter rufus, tertius niger, quartus pallidus in medium prodeunt. Ad quinti sigilli fractionem auditur vox Sanctorum martyrum vindictam a Deo poscentium de hostibus et persecutoribus Ecclesiae, quibus respondetur ut adhuc brevi spatio *requiescant, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi* (VI, 9, 11). Post remotum sextum sigillum, obscuratur sol, luna in sanguinem vertitur; concutitur terra, aliaque prodigia describuntur iis prorsus similia quae in fine mundi eventura narrat Evangelium (Mat. XXIV Marc. VIII Luc. XXI). Tum vero signantur in fronte electi ut a plagis super impios effundendis immunes evadant (cap. VII). Aperto demum septimo sigillo silentium fit in coelo, et septem angelis tuba clangentibus septem plagae in terram immittuntur (capp. VIII, IX) quae eadem esse videntur ac illae de quibus postea in capp. XV, XVI fit sermo. In cap. X Angelus alta voce conclamat *quia tempus non erit amplius*; ac propheta librum devorare praecipitur (cap. X v. 8 et seqq.) Postquam Iohannes c. XI mensus est templum, ac audivit de duobus testibus, qui post praedicationem a bestia occisi ad vitam revocandi sunt et in coelum transferendi, narratur Satanae et Antichristi bellum adversus Ecclesiam (c. XII), eiusdem vero Antichristi, eiusque administrum ac adiutoris character graphice describitur cap. XIII sub figura bestiae septem capita et decem cornua habentis, et alterius ferae duobus cornibus instructae, quae primam adiuvat atque homines ad eam adducere conatur: his tamen fortiter resistunt virgines, quorum gloria celebratur cap. XIV, ubi etiam imminens iudicium et proborum excidium innuitur. In capp. XV et XVI septem plagae describuntur, quae ex phialis aureis septem angelorum in terras effusae sunt: post quas exterminium Babylo-

niae sub imagine meretricis variis ornamentis vestitae, sanguine martyrum ebraeae super bestiam sedentis (cap. XVII, XVIII), ad cuius mortem laetantur sancti et laudis hymnos Deo fundunt (cap. XIX). Sequitur plenus Christi triumphus super antichristum ac super diabolum, qui ante mille annos a Christo ligatus, extremo illo tempore solvetur, ac contra Christum eiusque Ecclesiam pugnare permittitur: mox iudicium extremum omnium hominum (cap. XX); quo peracto iusti gloriose regnant in coelesti Ierusalem, cuius magnifica descriptione clauditur Apocalypsis (capp. XXI, XXII), addita in fine severa comminatione, ne quis huic libro addere vel demere aliquid audeat.

Hoc est sublime ac splendidum Apocalypsis argumentum, in quo interpretando Sacri DD. ac interpretes omnium aetatum insudarunt; quamvis impossibile videatur omnem obscuritatem ex quibusdam locis remove, qui fortasse sacra quadam caligine obducti permanebunt usque ad illam aetatem, in qua ipse rerum eventus vaticiniis lumen effundet. Nos de arcanis libri sensibus nonnulla dicemus in solutione obiectionum, interim vero ipsius libri genuinitatem demonstrare aggredimur ostendentes eum Iohannem Apostolum et Evangelistam habere auctorem. Qua quidem de re non parva aliquando extitit controversia ita ut quemadmodum postremus est hic liber inter Scripturas N. T. ita etiam postremus in canonem sacrorum librorum dissipatis dubiis communi consensu receptus fuerit, postquam Ecclesia caetera eiusdem nominis scripta ut Apocalypsim Petri, Apocalypsim Thomae, Apocalypsim Cerinthi et similia constanter reiecerit.

Ut igitur in gravissima hac quaestione diligenter versemur, eisdem ordini insistemus quem tenuimus in Thesi de epistola ad Hebraeos, quaequam praesens quaestio magnam habet similitudinem. Sit itaque.

§. I. Rationes dubitandi de genuinitate  
Apocalypsis Iohannis.

I. Rationes dubitandi *externae*. — Ecclesiae Orientalis traditio omnino contraria videtur Iohanni auctori. Sane — 1<sup>o</sup> In graecis codicibus Apocalypsis *Iohanni theologo* adscribitur, non autem *Iohanni Apostolo*. Hunc enim titulum praeserferunt Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ

θεολόγου. — 2<sup>o</sup> Patres Apostolici Apocalypsim ignorasse videntur: numquam enim eam citant. Quod quidem silentium tanto magis valet, quo magis opportunum vel necessarium quibusdam Patribus Apostolicis fuisset hunc librum citare, si vere Iohannis opus esset. Sane *Ignatius* martyr Iohannis discipulus, et ad eandem Ecclesiam scribens, ad quas Apocalypsis directa est, Smyrnensem scilicet, Ephesinam, Philadelphensem, certe non omisisset hoc Iohannis opus laudare quemadmodum ex. gr. ad Ephesios scribens non omisit Pauli epistolam ad eosdem missam commemorare. Idem etiam de *Polycarpo* dicendum. — *Papias* etiam et ipse fortasse Iohannis discipulus, et Chiliastarum errori addictus, qui in cap. XX Apocal. fundamentum sui erroris collocabat, sine dubio Iohannis apostoli auctoritatem pro eodem errore invocasset, quod tamen non facit (V. Euseb. III, 39). — 3<sup>o</sup> Non solum Alogi et Marcionitae sed et plures orthodoxi ante saec. III<sup>um</sup> Apocalypsim Iohanni abiudicabant et Cerintho adscribebant, ut testatur Dionysius Alexandrinus in I. II de Promissis apud Eusebium I. VII, c. 25 (1). Ipse vero (Dionysius) instituto in integrum librum examine quamvis non audeat Apocalypsim inter opera haereticorum reicere, negat tamen eam a Iohanne Apostolo fuisse conscriptam (2). — 4<sup>o</sup> Eandem fuisse sententiam Graecorum saeculo IV et V testatur Hieronymus in epistola ad Dardanum inquit: « *Nec Graecorum quidem Ecclesiae Apocalypsim Iohannis eadem libertate suscipiunt.* » Idemque refert Iulius Africanus de part. div. leg. I, 4. — Hinc 5<sup>o</sup> Apocalypsis omittitur in pluribus librorum canonibus in Oriente

(1) « Nonnulli quidem, inquit, ex his qui nos praecesserunt librum hunc repudiabant omnino ac refutabant... ad haec inscriptionem libri falsam esse dicunt, neque enim auctorem eius esse Iohannem... et non modo Apostolorum neminem sed ne ullum quidem de Sanctis et Ecclesiasticis viris huius libelli conditorem fuisse affirmant; Cerinthum enim qui nominis sui sectam conflavit cum magno auctoritatis nomine ad faciendam fidem commentis suis vellet praefigere, Iohannis titulum operi suo incidisse dicunt. » (Patr. Gr. to. XX, col. 697-8).

(2) « Iohannem igitur (concludit) hunc vocari, et librum a Iohanne scriptum esse non inficior. Fateor enim sancti cuiusdam et divinitus inspirati viri opus esse. Sed hunc ipsum esse Apostolum Zebedaei filium et fratrem Iacobi, cuius est Evangelium illud, quod sperandum Iohannem inscribitur, et Epistola Catholica, haud facile concesserim. » — Et prosequitur rationes contrarias preferens ex internis libri characteribus, ut infra videbimus.

confectis etiam in illis ubi deutero-canonicae epistolae recensentur ut ex gr. in can. 85 inter Apostolicos, in can. 60 Laodicensi et in canonibus Cyrilli Hier. Cat. IV et Gregorii Nazianzeni carm. 33: Eusebius in locis saepius citatis haesitat inter *omologumena* et *nothas* Scripturas (III, 23, 25). In canone Ecclesiae Syriacae defuisse Apocalypsim constat ex versione Syriaca simplici. — 6° Denique ex latinis etiam Gaius Romanus presbyter Apocalypsim Cerintho adscribebat (apud Eus. III, 28).

Crescit difficultas si interni characteres Apocalypsis inspiciantur, II. Rationes dubitandi *internae*. — 1° Summa libri *obscuritas*. Cui enim bono liber hic a Iohanne scriptus fuisset, quem nemo unquam intelligere potuit? — 2° *Stygli diversitas*. Imprimis enim dictio multo incultior est, quam quae in Iohannis Evangelio ac epistolis deprehenditur (1). Praeterea, ut Dionysius in citato loco observat, auctor Apocalypsis seipsum frequenter in prima persona nominat: *Iohannes septem Ecclesiis* (I, 4): *Ego Iohannes frater vester* (I, 9): *Et ego Iohannes* (XXI, 2): *Et ego Iohannes qui audivi et vidi haec* (XXII, 8) etc. Hoc vero a Iohannis Apostoli consuetudine omnino abhorret, qui in toto Evangelio atque in epistolis suis vel in tertia persona de seipso loquitur « *discipulus ille quem diligebat Iesus* » vel sub *senioris* nomine latet. — 3° *Error*es qui in Apocalypsi occurrunt, quos Iohanni Apostolo tribuere non licet: ex quibus duos praesertim notarunt veteres scriptores scilicet: 1° cap. I, 11 et II, 18 nominatur Ecclesia *Thyatirae* una ex septem, quibus inscribitur Apocalypsis. Porro de hac Ecclesia tempore Apostolico in Asia minore existente nullum vestigium in historia occurrit: 2° cap. XX docetur error Chiliastarum, seu Millenariorum, qui existimabant post diem iudicii et mortuorum resurrectionem iustos cum Christo in terris regnatos mille annis. Sane narrato extremo iudicio auctor Apocalypsis subdit de electis « *et regnaverunt cum Christo mille annis* » (XX, 4) et iterum vers. 6: « *Beatus et sanctus qui habet partem in resur-*

(1) Hanc differentiam Dionysius in loc. cit. animadvertit: « Ex ipsa dictione, inquit, conici potest quantum Evangelium et epistola (Iohannis) differant ab Apocalypsi. Nam illa quidem non modo emendate quod ad Graecum sermonem attinet, verum etiam cum summa elegantia tum in verbis, tum in argumentationibus et in tota orationis compositione perscripta sunt... Dictionem vero Apocalypsim non admodum graecam animadverto, sed barbarismis, atque interdum solecismis inquinatam » (Tom. cit. col. 703-4).

rectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei et Christi, *et regnabunt cum illo mille annis.* »

Haec sunt argumenta, quae sive ab antiquis, sive a recentioribus Apocalypsim adversariis contra eius authenticam allata sunt, quae tamen nullius ponderis esse demonstrabimus postquam externa et interna argumenta proposuerimus quae Iohannem Apostolum eius auctorem esse certissime ostendunt.

## §. II. Argumenta externa pro Iohanne Apocalypseos auctore et obiectionum externarum solutio.

Ecclesia Occidentalis numquam de Iohanne Apocalypsis auctore dubitavit: Ecclesia vero Orientalis ab initio quidem usque ad aetatem Origenis et Dionysii Alex. in eadem persuasionem fuit; oris deinde dubiis occasione erroris millenariorum, qui in provincia Alexandrina saeculo III propagari coeperat, a nonnullis repudiata est Apocalypsis vel alteri auctori adscripta; quorum auctoritas plures sequenti aetate permovit ut eum librum tamquam suspectum haberent, et in canonibus SS. Librorum omitterent. Vicit tamen aliquando veritas, et re maturius perpensa inde a saeculo VI Apocalypsis ut Iohannis Apostoli opus in toto Oriente suscepta est (1).

Haec autem omnia nunc breviter demonstrabimus. — Quod *Ecclesia Occidentalis* semper Apocalypsim Iohannis Apostoli suscepit, ex historia certissimum est, et adversarii non negant. — Imprimis enim in vetustissima *Latina versione* semper lecta est *Apocalypsis Iohannis Apostoli*. — *Tertullianus* adv. Marcionem IV, 5: « *Habemus, inquit, et Iohannis alumnus Ecclesias, nam etsi Apocalypsim eius Marcion respuit, ordo tamen Episcoporum ad originem recensens in Iohannem stabit auctorem.* » Quod testimonium auctoris saec. II eo magis faciendum est, quod ad primitivam Ecclesiae traditionem appellat. — Ante Tertullianum *Irenaeus* Iohannis per Poly-

(1) Notanda est diversa atque contraria ratio qua Ecclesiastici consensus de *Apocalypsi* et de *Epistola ad Hebraeos* propagatus est. Nam epistola ad Heb. dum apud Latinos in dubium revocabatur, in Orientali Ecclesia communi consensu semper recepta fuit, et ex hoc Occidentalium quorundam dubia correctataque sublata sunt; contra vero Apocalypsim in Oriente adversariis experta totius Ecclesiae Occidentalis patrociniis nacta est, atque ex Occidente in Orientem erroris remedium dimanavit.

carpum discipulus luculentum suppeditat pro re nostra testimonium. In lib. enim IV adv. haer. cap. 20, n. 11 scribit: « Sed et *Iohannes discipulus Domini* in *Apocalypsi* sacerdotalem et gloriosum regni eius videns adventum: conversus sum, inquit, videre vocem, quae loquebatur mecum, et conversus vidi septem candelabra etc. (Apocal. I, 42 seqq.) » Idem repetit S. Doctor in l. IV, c. 30, ubi loquens de mystico illo numero 666 Apoc. XIII, 18, ad eorum testimonium appellat qui Iohannem Apostolum viderant, nec non ad omnes antiquos et probatissimos codices Apocalypseos; ait enim in principio cit. cap.: « His autem sic se habentibus (scilicet quod revera 666 sit numerus in Apoc. legendus) et in *omnibus antiquis et probatissimis Scripturis* numero hoc posito, et testimonium perhibentibus his, qui *facie ad faciem Iohannem viderunt*... nescio quomodo quidam erraverint sequentes idiotismum et medium frustrantes numerum nominis etc. » Quae verba ad probandam tum Apocalypsis existentiam aetate Apostolica, tum primitivam traditionem de eius auctore Iohanne Apostolo efficaciora sunt quam ut declaratione indigeant.

Neque omittenda est auctoritas antiquissimi inter Latinos scripturarum canones, *fragmenti* scilicet Maratoriani Apocalypsim Iohannis inter canonicas Scripturas recensentis. - Facile esset sequentium aetatum testimonia colligere apud Occidentales; unanimes enim prorsus apud eos apparet consensus. - Sane *Cyprianus* (de Bono Patientiae cap. 24, et ad Quirin.) Apocalypsim *Iohannis Apostoli* inter canonicas Scripturas refert; - *S. Hippolytus* Apologiam et commentarium in Apocalypsim Iohannis conscripsit (1), eademque est sententia *Confessorum Romanorum* (in ep. 26 inter Cyprianicas), item *Victorini Petavioniensis* (Patr. Lat. Tom. V, col. 318), *S. Hilarii* (Prologo in Psalmos,

(1) Quemadmodum apparet ex Catalogo eius operum apud Ebediesu, et in alio insculpto eius antiquissimae statucae in Musaeo Lateranensi asservatae, nec non ex Hieronymo de Viris illustribus. - In libro autem de Christo et Antichristo §. 36 scribit Hippolytus: « Hic enim (Iohannes) cum in insula Patmos versaretur vidit Apocalypsim, qua detecta horrenda mysteria, eaque narrans etiam alios aefatim docet »; et postea ipsum Iohannem alloquitur: « Die, quae so beato Iohannes Apostole et discipule Domini, quidnam audivisti et vidisti de Babylone? » - Notandum tamen est postremum hunc librum a quibusdam criticis alteri Hippolyto tribui Adenae in Arabia episcopo; quod si admitteremus, tanto maior esset testimonii huius vis pro Thesi nostra, utpote scriptoris *Orientalis*, qui saeculo Ecclesiae tertio vixit.

et comm. in ps. I et in psalmum GXL), item *Philastrii*, qui in haer. 32 ait: « Sunt haeretici qui Evangelium secundum Iohannem et *Apocalypsim ipsius* non accipiunt et non intelligunt virtutem Scripturae. » His adde *S. Ambrosium* (de Poeniten. l. I, cap. 9); *S. Hieronymum* (in ep. ad Dardanum, in Isaiam cap. 48; adv. Iovin. I, 26; de Vir. Illustr. cap. IX et alibi passim); *S. Pacianum*, *Augustinum*, *Orosium* (Apologia contra Pelagium); *Faustinum Romanum* presbyterum (contra Arianos cap. III). - Denique *Canones* omnes, quotquot sunt a *Latinis* editi, *Africani*, *Romani*. *Florentinus* et *Tridentinus* Apocalypsim Iohanni Apostolo tribuunt.

Quid de Gaio Rom. presbytero sentiendum sit videbimus infra in responsione ad ultimam difficultatem. Est igitur res certissima in Occidentali Ecclesia numquam de auctore Apocalypsis dubitatum fuisse; quod erat primo loco demonstrandum.

Nunc de *Ecclesia Orientali*, quam primo affirmavimus ab aetate Apostolica usque ad Origenis et Dionysii tempora Apocalypsim recepisse ut Iohannis Apostoli opus. Quod facile est demonstrare. - Sane scriptores Orientales et Graeci ante praedictam aetatem Apocalypsim sub nomine Iohannis Apostoli laudant, eiusque vaticinia exponunt, quin ullum appareat apud eos vestigium dubitationis circa eius authenticam. De Patribus Apostolicis *Polycarpo* et *Ignatio*, et fortasse etiam *Papia*, quamvis eorum testimonia pro Apocalypsi non supersint, merito tamen possumus ea conicere ex sup. cit. Irenaei testimonio (V. 30), ubi ad viros Iohanni coevos appellat, sub quorum nomine tum in genere viros Apostolicos, tum in specie laudatos Patres, praesertim Ignatium et Polycarpum, intelligere datur: hos enim duces et magistros Irenaeus praecipue sequitur in opere adv. haeres.; idem etiam apparet de *Papia* ex testimonio Andreae Caesar. infer. cit. - Succedit gravissimum *Iustini martyris* testimonium in dial. cum Triph. Iudaeo Ephesi habito n. 81, ubi de regno mille annorum loquens ait: « Huc accedit quod vir apud nos nomine Iohannes unus ex Christi Apostolis in *revelatione ipsi facta* (ἐν ἀποκαλύψει γενομένη αὐτῷ) mille annos Hierosolymis tracturos praedixit eos qui Christo nostro crederint » etc. Apoc. XX (Patr. Graec. Tom. VI, col. 669, 670). - *Melito Sardensis* eodem saeculo II, testibus Eusebio et Hieronymo, de Iohannis Apocalypsi librum conscripsit (Eus. IV, 26; Hier. de Vir. III.). - *Theophilus Antiochenus* circa eandem aetatem (nempe circa annum 170)